



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De mansuetudine, Cap. 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

factum abiurarunt & per sui despectum regnum cœlorum, quid vim patitur, violenti repuerunt.

35 Fratres ergò nostri, purissimæ ac humillimæ Virginis proles, à Parente tāta minimè degeneraturi, tametsi virtutum omnium partes explere debeant; hac tamè eximia, & reliquarum custode virtute curent esse conspicui: sic enim breuiùs, quàm sine experimentis crederent, futuræ foelicitatis primordia quædam gustu pacis, quæ superat omnem sensum, in hac valle perquirent.

De Mansuetudine.

Caput. XII.

Mansuetudo, quæ inter partes temperantiæ recēsetur, est virtus, quæ moderatur irā, & proindè in Irascibili sedem habet; ac fere passionis illius ardorem extinguit: vnde laudem profectò summam promeretur. Videtur autè (quod ad ordinē attinet) humilitati omninò socianda mansuetudo, cum à Christo simul commēdata fuerit, vbi dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

2 Cum

2 Cum autem mansuetudo, iuxta rationis præscripta iram, quæ inter passiones asperrima est, moderetur, meritiò eius ingeniũ inter virtutes vniuersas singulari suauitate videtur affluere, præter, alia innumera bona, quib⁹ hominẽ auget.

3 Et quidem neminem fugit, animos mites alijs gratissimos, & iucundissimos esse: vt pote, qui alios tantum abest, vt legere, velint, vt læsiones potius sine renisu excipientes, ipsis læsoribus vultum hilarem pro vulneribus reddant.

4 Nec vulnera solum libèter admittunt, sed nouis dånis expositi nihil se repugnatos ostendunt: donec virtutis huius ineffabili suauitate alienæ iracundiæ furorem extinguunt.

5 Ex quo satis liquet, quanta sit Christianæ mansuetudinis honestas: quæ, dum alij rationis metas prætergressi in ferarũ naturam degenerant, decorem immota seruat; & quodam immortalitatis genere, inter ipsa vulnera intemerata perdurat.

6 Hinc efficitur, vt aliquid homine altius vir mitis habere videatur; qui euentibus ijs, quibus cor humanum

acrius extimulatur, tangi non possit, quasi cœlestem statum fuerit assecutus: sicut enim aëre nebulis, nubibus, turbibus, tonitruis, fulminibus agitato, superior cœli serenitas intacta persistit: ita mitis animus, ultra omnem mundi perturbationem elatus, nullis terramotibus, siue rerum humanarum agitationibus, ullam tranquillitatis iacturam patitur.

8 Ex quo etiam patere potest, quam sit ingens huius virtutis lucrum: ius quippe ad illam hæreditatem habet, quæ nullis perturbationibus deteri, vel cõcuti possit: scriptum est enim: Mansueti autem hereditabunt terram; & ut omnis belli suspicio auferretur, additum est: Et delectabuntur in multitudine pacis: ut quod de florentissimo Salomonis cognomento Pacifici regno dicitur, de animo quouis mansueto asseratur: nullo scilicet armorum strepitu interturbari.

9 Nec pax effœta est: immò delectationum diuinarum multiplici foetu diues: propterea quippe dicitur: Delectabuntur in multitudine pacis: mirum est enim, ad solatia diuina percipiēda, quam sit

fit opportuna mansuetudo : excludit enim omnia, quibus ab ea tranquilissima fruitione poterat præpediri.

10 Fratres ergò nostri tantorum bonorum cupidi virtuti huic se accurratissime dedant, & statum cœlestem, vt Monachos decet, mansuetudine repræsentet; sed actus proponamus.

Exemplum.

11 **N**Otandum est, quosdam esse homines naturali constitutione sic affectos, vt sint ad excandescentiam velocissimi; alios verò è contrario, lentissimos esse : quod & de virtutibus alijs, vt de ipsa humilitate proximo capite tractata, sentiendum est: nōnullos enim excellentiæ propriæ sensus celerrimus & subtilissimus torquet; alios verò parum mouet; quod exemplis quotidianis intuemur.

12 Virtutis ergò cuiuslibet cultura in incipientibus, ibi potissimum laude digna est, vbi cōtrarius affectus validè repugnat: nam qualis generositas est, eam virtutem colere, pro qua nullum prælium cōmittendum sit? Dictum est autē

de incipiētibus: nam si de prouectis sermo fiat: perfectior sanē virtus quælibet erit, quæ post agones, nullis iam prælijs tentata quieuit.

13 Quod eò conducet, vt iuniores fratres, nec alios temerè iudicent, nec verò se, si minimè tentantur, alijs anteponāt: maior quippè profectus est eorum, qui corruptæ naturæ habitudine, ad vitia proni, nunc iræ, nunc superbix, nunc inuidiæ stimulis vrgentur, & resistunt, tametsi culpas aliquot interdum admittant, quàm illorum, qui ab his tentamentis immunes meliores esse videntur.

14 * Annotandum prætereà, mansuetudinis gradus diuersè concipi posse: sed ad quinque perspicuè reducuntur: primus est, eum qui læditur, commoueri, sed iræ impetum cum mœstitia reprimere: secundus commoueri quidē, at sine mœrore, impetum compescere: tertius, ob anteactas iræ victorias non commoueri: quartus, ob spirituale suū bonum lætari: quintus, cum obliuione sui ex proximi lædenti damno dolorē, compassionemquē concipere. Hinc ergò quisquē de se iudicium ferre poterit.

rit.

rit, quos in hac virtute progess⁹ fecerit.

* *Annotandum, totidem esse patientia quot mansuetudinis gradus.*

Actus interni.

15 **M**ansuetissime Iesu Christe, certissimè statuo, quoties læsus fuero, me quasi agnum coram tondente futurum.

Dulcissime Domine, si pungar, & importunè tenter, dono tuo, læsoribus aridebo.

Suauissime Deus, etiamsi expolier, ac cædar ab inferiore quouis, amoris signa exhibebo.

Clementissime Domine, absit à me, vt ob vllum damnnum, contra amabilissimos proximos meos excandescam.

Mitissime fili Dei, si quis me tentaue- rit, lætabor super exercitia illa, sicut qui inuenit spolia multa.

Benignissime Domine, si quãdo vexatus à proximo fuero, obliuiscar mei, & compatiar illi, propter te.

16 Actus hi ex animo prodire debent: attunc præsertim, cum frater aliquis experimētis multis notauit, alium quem-

quempiam, contrarijs opinionibus, increpationibus, aut alijs eiusmodi actib' sibi infestum esse: tunc enim veriores actus patientiæ, ac mansuetudinis existunt: quia passim animus exercetur: quod sanè sine culpâ exercentis vel ob incogitantiam, vel ob naturalem antipathiam (nè quis novus frater erret) accidere solet, Deo eiusmodi certamina in claustris ad profectum providente.

Actus externi.

17 **A**D Christianæ perfectionis lucra, & decorem domus Dei non factis est, si quis proximo lædenti non succēseat, vel ob spirituale bonum lætetur, vel irritanti compatiatur; si eos bonos animi motus intra se ftater mansuetus ità contineat, vt mœrorem, aut iram, ad tēpus, differre vel conseruare videatur: qua in re nonnunquam per imprudentiam peccatur.

18 Opera ergò danda est, vt mansuetudo irati proximi medicina sit: quapropter ita vultus, & totius corporis gestus, quem læsor intuetur, temperandus est; vt ille sibi persuadeat, nihil amaritudi-

nis latere : hinc responsio mollis, quæ frāgit iram: hinc risus modestus, & placidus: hinc deprecatio culpæ: hinc emendationis promissio: hinc corporis prostratio: hinc, cū proximo displicet sermo, incessus, sessio, & eiusmodi alia, earum actionū correctio, aliaq; permulta; quæ pro varijs proximorum ingenijs omittenda, vel admittenda sunt.

19 Nec sanè fas est ad suauissimæ virtutis huius cultum fratres nostros ignavia torpescere, quasi austerior disciplina sit, & frequentia tentationum imminet: quin potius, eò fortiùs æquū est, dimicare, quò bella imminent plura, & maius pacis bonum expectatur; quod subiectis rationibus stabilimus.

20 Nihil in orbe frequentius, quàm alterna conuiuia: nihil in aulis, vbi sensus honoris subtilior est, crebriùs accidit, quàm iniuriarum per nutus, verba, & actus, irrogatio: & tamen quo quis nobilior est, & honoris ac lucri expectatio maior, eò patiètiùs aduersa ferre discit: nè cum dedecore negotijs gerèdis, vbi mille molestiæ perferuntur, ineptus videatur, vel loco excidat: quare ergò dome-

domestici Dei, qui ad lucra, & honores æternos aspirant, iram reprimere, pacatum cor præferre, ac proximis mites esse non curent?

21 Profectò cum mitibus terræ viuentium honorifica possessio promissa sit, per illa verba; Beati mites, quoniã ipsi possidebunt terram: stultissimè agent quicumquẽ ob ingruentes occasiones, ab opulencia tanta quærenda desistent: quid enim boni eis euenire possit, qui ad hæreditatem illam adeundam, se cõparare non curant?

22 Verum, licet iura Ciuitatis Dei mansuetis cordibus non essent obuentura: ipso tamen virtutis huius præsentibono ita capi deberent, vt ab eius studio dimoueri nequirent: quod hac neruosa ratione conficimus: Omnia pacem amant: nec vlla tam immanis fera est, quæ pace non delectetur: leones quippè, tigres, vrsi, pugnas nunquam susciperent, nisi tranquillo prædæ captæ pastu (quæ sua pax est) traherentur: homines verò, qui feris piores esse solent, puta, pyratae, ac homicidæ, ipsis irruptionibus, & hominum cõdibus, spoliõrum
tran-

tranquillam fruitionem affectant: quin etiam dæmones ipsi, dum homines inuadunt, & in tartarum detrudunt, id rabidè cupiunt, vt ijs prædis, si fieri posset, saturentur, quæ pax eis optatissima est: cum ergò pyrata, homicide, dæmones, quorum fors discordia est, pacem auidissimè insequantur: qualis erit demētia eorū, qui filij Dei sunt, & pacifici propterea esse debēt, vt, cū sine cōtentionis prælio, & sine vindictæ præda pace mansuetudis frui possint, eā non studiosissimè perquirāt? Etenim Imperatores, qui sine sanguine, vrbes ceperunt, clariores, quā alij, victorias reportarūt.

23 Sed quid de illo Dei oblectamēto dicem⁹, quod è parta māsuetudinis pace suborit⁹? Pax quippè illa, & tuta cordis serenitas, instar quiescentis aque cœlestia simulachra Dei se iucūdisime quasi spectātis repræsētat: dū hominem inter virtutes omnes mentis cōpotē insigniter efficit: vnde gaudia cumulata succrescūt: eōtra verò iracundū cor multis motibus perturbatū influxus cœlestes intercudit, aut repellit. Erit ergò è re nostra mitē animū, quasi cœli speculū gerere,

gerere, ac rerum cœlestium notitiâ delectari.

24 At qui cœlestia non vsque adeò aestimare nosset, ex hominû affectu mansuetudinis bonum ponderare valeret: vix enim dici possit, quàm leniter, ac efficaciter ea virtus corda trahat: sicut enim corpora mollia contrectare, asperanè attingere quidem natura vellet: ita hominis ratio mites animos amplecti, sed iracundis nè appropinquare certè vult, sic in cœtibus virorum, quos ad iram procliuces cæteri nôrunt, quasi herinaceos refugijunt: mites verò semper adesse, secum agere, conuiuere cupiunt.

25 Vt verò quid altiùs naturâ promamus; nemo tam ferox est, qui cum alium & irritari, & pro malis bona respondere, placido vultu offensori subridere videt, nô totis visceribus commoueatur, & virtutis huius amore dignissimæ vim, ac suauitatem sentiat, & admiretur.

26 Veruntamen vno saltem exemplo famosissimo rem hanc euincamus: nôrunt vniuersi Christiani Saulem illum regem Israël in fœlicem sæpè quidem, sed

sed bis ardentius, quã aliàs quasi phre-
nitide correptũ, armatis militibus se-
ptum, ex vrbe, ad inuestigandũ Dauidẽ
etiam inter rupes abrutas, quæ solis ibi-
cibus præuia sunt, prodijisse: & in alte-
ro euẽtu, chlamydis oram in antro fu-
isse præcisam, in altero, hastam, & vrce-
um dormienti regi sublatum: nec vllò
vulnere, cũ facillè posset, à iuvene mitif-
simo læsum, nedum necatum: quod il-
le, vt resciauit, vt erat ferus, obstupuit.

27 Postquã enim ex antro egressus, &
aliquatũ pgressus Dauidis orã ostēden-
tis vocẽ opusq; percepit: & postquã ex-
citatus, Dauidẽ ipsũ tenerrimo affectu è
regione clamãtẽ, hastãq; quã interim
potuit, & vrceũ offerẽtẽ audiuit: mansue-
tadini tãtã reluctari nõ valẽs in lachry-
mas, virtutis huius. nõ suę testes, emolli-
tus, prupit. Profectò cor illud adamãte
durius erat: sanguinẽ sitiebat: ad necẽ fe-
stinabat: militũ agmen instruxerat: &
tamẽ fractus animo fuit: fleuit: Dauidẽ
ad tẽpus amauit: & exarmatus sola Da-
uidis mansuetudine urbem repetiuit.
Quid ergò in animis non efferatis man-
suetudo non efficit?

28 Sed

28 Sed enim, quid opus est exempla
 minùs fortia, quàm quæ præbuit Verbū
 caro factum afferre? nam præterquam
 quòd mansuetissimus Dei filius ad sua-
 uissimi, ac supremi magisterij sui laudē,
 dixit: Discite à me, quia mitis sum; plu-
 ra operibus, quàm verbis, & efficaciora
 proposuit. Certè tanquam ovis ad occi-
 sionem ductus est; & cum cæderetur
 non aperuit os suum: & cum frementes
 vituli multi circumdarent eum, & in-
 noxio eius cruore pascerentur, nunquā
 vllum è sæuissimis latronib⁹ illistoruē
 saltem aspexit. At hæc ineffabilia sunt:
 illa tamen duo mitissimi animi respōsa
 commemorare decet: illud, Cur me cõ-
 dis? quando minister ille satanicus ala-
 pam impegit: & illud: Amice ad quid
 venisti? quando lupus ille crudelis pau-
 lo ante Apostolus, osculum in horto
 venenatum impressit? campus latissim⁹
 est: qui potest capere capiat.

29 Ceterum status nostri peculiari qua-
 dam ratione Beatissimæ Virginis miti-
 tas propria est: nunquam enim oves ge-
 nuere lupos: quis enim tale monstrum
 audiuit? Genuit sanè agnum illa, nec
 eius

eius filij, nisi agni mansueti qui portan-
tur ad victimam, esse possunt. Quomo-
do ergo, quos virgo inter omnes mitis
in filios adoptavit, non mitescent?

30 Denique, vt multa paucis amplecta-
mur, inter illustrissimos mansuetudinis
titulos, qui defides quoque animos ad
ira necem incendere possunt, numerus
ille trinus est. Mansuetudo quippè, &
virtus est, & Spiritus sancti fructus est, &
beatitudo est: quasi luculentius dicere-
mus, ex tribus capitibus in solidum effi-
cacissimis in lenitatis studium feruen-
tius incumbendum esse; quia, & virtus
sublimis est, qualem ex parte depinxi-
mus: & fructus eximia Charitatis, quæ
Spiritus sancti fructuū propria est: & be-
atitudo ob altissimam perfectionem,
quæ beatitudinibus à Christo laudatis
congruit, vt disertius suo loco tradem^o.

31 Funiculus hic triplex difficilè rûpi-
tur: imo duriora ferro corda perrûpit.
Orbem quippè totum pauci homines
mansuetudine armati, non resistendo,
sed perferendo domuerunt: & Christi-
ana lenitate imperium ferreum, hoc est
Romanum, quod alia regna minùs du-
ra contriuerat, subiugarunt. 32 Qua

32 Quâ certè mira victoria homines
mites corde velut inter lupos agnitu-
pète mundo, claruerunt, & Magni præ-
ceptoris sui, qui domuit orbem, non
ferro, sed ligno, sensum euulgarunt.

33 Hæc est laus filiorum Dei, qui dul-
cissimo corde pectora dura pulsantes,
& iram feruere, ac de feruescere sinen-
tes, eos potissimum capiunt, quos acro-
res hostes, ad tempus ferunt.

34 Festinent ergò fratres nostri ad hoc
coeleste brauium, & suauissimo spiritu
lenitatis, victoriam proximorū exqui-
rant: nè præferant Christi similitudinē,
& intus vllam asperitatem admittant.
Currant ad propositum eis certamen,
& corde tacito mens benè conscia, fili-
orum Dei, quorum nomina liber vita
seruat, permansuram hæreditatem ac-
quirant.

De Patientia.

Cap. XIII.

CVm vulgò mansuetudinis actibus
patientia actus permisceatur (qui
enim iniuria laceffi mitescunt, paci-
entes appellantur, cum potius mansue-
ti dicendi essent) æquum est de virtute
patien-